

10.
THESES,

QUAS,

JUBENTIBUS LEGIBUS ACADEMICIS
CONSENTIENTEQUE AMPL. FACULT. PHIL.
STIPENDIARIOS EXERCENDI GRATIA,

PROPONIT

CAROLUS REGIN. SAHLBERG,

Hist. Natur. Prof. P. & O.

RESPONDENTE

FRANCISCO JOHANNE RABBE,

Stipend. Publ. Satacundensi.

In Auditorio Philosoph. die III Aprilis MDCCCXXIV

horis 2, m. consuetis.

ABOÆ, Typis FRENCKELLIORUM,



Thesis I.

Qui ingentem tam Animalium quam Vegetabilium, perve-
stigatione a Naturæ Scrutatoribus per omnes fere ter-
ræ plagas diligenter instituta, ad nostrâ usque tempora de-
tectarum, consideraverit multitudinem, hancque cum numero
eorum tempore Nobil. a *Linne* cognitorum contulerit, mi-
rabitur certe incrementum, quod decenniis recentissimis ce-
perit Historia Naturalis, maximum. Caveat vero quisque, ne
contendat Naturæ gazas satis jam esse exhaustas, omneque
studium novas corporum organicorum ulterius detegendi Spe-
cies superfluum esse & inutile.

Thes. II.

Quo plura autem genera Animalium & Plantarum diver-
sa vel hucusque invenerint vel posthac inventuri sint, atque
quo diligentiorum feliciorumque, structuræ specierum singu-
larum internæ examinandæ variisque earum functionibus ex-
plicandis, navaverint operam Naturæ studiosi, eo clariùs elu-
cebit intima, qua corpora organica inter se invicem jungun-
tur, affinitas, eoque certius nobis persuadere poterimus, *na-
turam non facere saltus.*

Thes. III.

Adeo artificiosum nimirum atque implicatum est rete,
quod efficit rerum naturalium complexus, adeoque subtiles,
non

non Specierum tantum & Generum, sed etiam familiarum, Ordinum Classumque, in se invicem sæpe observantur transitus, ut notas horum omnium characteristicas semper & ubique indubias extricare difficilimum sit. Quid, quod & ipsa Regna Naturæ, imprimis quæ organica comprehendunt corpora, arcto ita cohæreant nexu, ut limites eorum satis certos ponere vix potueris.

Thef. IV.

Quemadmodum enim in universum phænomena vitæ vegetabilis in animalibus conspiciuntur haud pauca, ita e contrario in plantis quædam observantur vitæ animalis vestigia.

Thef. V.

Plurimas quoque notas ipsas, quibus ambitum Regni Animalis & Vegetabilis determinare conati sunt Systematum Naturæ conditores, fallaces interdum esse. atque ad ea animalia vegetabiliaque examinanda & dignoscenda, quæ ob structuram simplicioreni inferiora atque minus perfecta habentur, non semper sufficere, satis docent permultæ, quæ a recentioribus Naturæ Scrutatoribus factæ sunt, observationes.

Thef. VI.

Sic animalcula quævis minutissima, *Sensibilitate & locomotivitate*, quas facultates Animalibus attribuit, vegetabilibus vero denegavit Nob. a *Linne*, a plantis quibuscumque vix ac ne vix quidem distinguere semper possumus.

Thef. VII.

Neque certioreni esse notam a *Cel. Hedvig* propositam, qua organa sexus, post peractam fœcundationem, in animalibus

rema-

remanere, in vegetabilibus vero decidere docuit, facile concedet quisque, qui animalcula æque ac vegetabilia bene multa generationi spontaneæ originem suam debere perpenderit.

Thef. VIII.

Fuere nonnulli, qui Animalia a Vegetabilibus in eo differre contenderent, quod *illa* unico ore, *hæc* vero pluribus aperturis cibum capiant. Cum autem haud pauca sunt animalcula, quæ, veluti vegetabilia, aut pluribus osculis aut tota superficie nutrimentum sugant, vim hujus notæ valde exigam esse, aperte patet.

Thef. VII.